UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XLIII. Sitne Electio Pastorum immediatè à Deo solo, aut ex carnali propagine?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

byteros; Sicut ego conſtitui tibi. Et Flacciani *Cent 1.l.2.c.2.* primos Epiſcopos ab Apoſtolis eſſe conſtitutos fatentur.

QVÆSTIO XLIII.

Sitne Paſtorum Electio immediate à Deo ſolo, aut ex carnali propagine?

IOAN. WICLEF & HVSS, teſte *Tho. Walden. l. 2. doctrina fidei c. 39. & 40.* Solius Dei eſſe aiebant, Paſtores eligere. Quia ſolus nouit prædeſtinatos pios; quales Paſtores oportet eſſe. Eorum articuli in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. damnantur tales. *Prælatus præſcitus & malus non habet poteſtatem ſuper Fideles:* Et, *eſt æquiuocè Paſtor,* Et, *Non electioni hominũ, ſed operibus electi oportet credere.*

AVTOR. Deus, *1. Reg 10.* elegit Saulem; at dein reprobum: Chriſtus Iudam; Ioan. 6. *Nonne ego vos XII. elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* Apoſtoli inter Diaconos, *Act. 6.* Nicolaum elegerũt præſulem. S. Patres conſentiunt, improbos Epiſcopos eſſe tamen veros: vt Ioann. 11. *Cayphas, cum eſſet Pontif. anni; illius, prophetauit.* Electio autem per Sortes etſi, *Act. 1.* ab Apoſtolis vſurpata ex priuilegio, tamen recte ab Eccleſia eſt prorſus omiſſa. Vide *Bell. l. 1. de Clericis c. 6.* De Luthero-caluinianis Prædeſtinatis ſileo. VVicleffizant.

II. HEBRAEIS naſcebantur Sacerdotes, Tribu Leuitica ſemel à Deo ad id deſtinata; Bene tunc.

AVTOR. At Chriſtianũ non decebat Sacerdotium propago carnalis. 1. Quia ſunt Sacerdotes *ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hebr. 7. Ideoque *ſine patre, ſine matre, ſine Genialogia.* 2. Sic prædixit Iſa. 66. *Aſſumam ex eis Sacerdotes & Leuitas. &c.* Aliud eſt, vt Sacrificium, ſic & Sacerdotium, in Nouo Temento;

QVÆSTIO XLIV.

Ius eligendi Papam & Epiſcopos. &c. An ſit Populi de Iure diuino?

LVTHERO-CALVINISTÆ *ſuprà q. 41.* affirmant.

SVADENT iſtis. 1. Quia, ait Caluinus, veteres popularem electionem vſurpabant. Sicut in politicis, electio Regis eſt Populi. Cætera argumenta colligit ex Luthero Brentio, Caluino, *Illiricus l. de electione.*

2. Quia, Matth. 16. *Tibi,* vt Eccleſiam repræſentanti, ait Aug. tract. 124. in Ioann. *dabo claues. &c.* 3. Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis:* Qui alii? *Dic Eccleſiæ,* id eſt, populo.

3 Epiſcopi ſunt Miniſtri Eccleſiæ, non Domini: *1. Cor. 3. 1. Pet. 5.* Eccleſia autem, 1. Tim. 3. *eſt Columna veritatis* ergo penes hanc, non illos, ſummum eſt tribunal.

4. Quia, *Act. 1.* Tota Eccleſia elegit Matthiam & Barnabam; non Apoſtoli.

5. *Act. 6.* Multitudo credentium *elegerunt Stephanum.*

6. Act. 14. *Cùm conſtituiſſent,* χειροτονήσαντες, id eſt, elegiſſent per ſuffragia, *illis per ſingulas ciuitates Presbyteros.*

7. Quia ſic docet S. Cyprianus, & Conc. Nycænum, & II. generale: Et ſic vſus per 1300. annos in Eccleſia.

AVTOR. *E*lectio non eſt Plebis vllo iure.

1. Non diuino, patet in *Antichriſti part. 2. quæſt. 17.* itemque ſuprà *q. 42.*

2. Adde, Hebr. 5. *Nemo ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur, vt Aaron:* qui Moyſe, non à Populo eſt electus.

3. Iure diuino & naturali *Epiſcopi* ſunt Paſtores plebis: *Act. 20. 1 Pet. 5.* Nec controuertitur. At Paſtorum eſt Paſcere, id eſt, Regere; ad quod *Eligere* quoque pertinet.

4. Apo-